

F R. PASCHALIS

A V A R I S I O

Ordinis Minorum S. P. N. FRANCISCI
Lector Emeritus, & in hac Cismontana Familia
tam Observantium, quam Reformatorum, &
Conceptionistarum Commissarius Generalis,
Visitator, ac Reformato Apostolicus, & Servus

*Universis in Christo Iesu Dilectissimis Patribus, Fratribus-
que tam Superioribus, quam Subditis jurisdictioni nostræ
subjectis, Salutem, ac Pacem, & à Domino
Sempiternam Benedictionem.*

I.



Xpleturi tandem serius licet quam optabamus, non torpore, aut incuria, sed rerum agendarum insuperabili occursu intercedente, id quod alias polliciti sumus, quum Sapientissimas Rmi. Patris Ministri Generalis universi Minoritici Ordinis Encyclicas Literas Vobis communicavimus; animum nostrum ad ea præscribenda modo convertimus, quæ vos propius respiciunt, quæque ut exacte adimpleatis, nedum cupimus, verum etiam mandamus atque præcipimus; utpote qui non ignoramus, earum omnium culparum, ac transgressionum, quas a Nobis inultas nimia conventionia tolerari forte contigerit, strictissimam supremo Judiciorationem in die iræ atque vindictæ certo certius esse Nos reddituros. Propositum autem est Nobis non novas leges condere, non nova onera imponere: sed ea duntaxat, quæ Deo semel vovistis, quæque in id rei per Apostolicas, & Ordinis Constitutiones jam dudum fuere sancita, commemorare, atque ad illarum omnimodam observantiam quæ præceptis, quæve minis, pœnarumque metu vos excitare ac perurgere, ut quoquo demum modo quemlibet in officio continere possimus. Nec mirum plane vobis id videatur. Iis namque temporibus, proh nimium infaustis, nec satis unquam lugendis! hujusc Cismontanæ Familiæ Gubernium Nos suscepisse cognoscimus, ac ingemiscimus, quum Regularis Observantiæ pietatis, charitatisque fervore plus æquo refrigercente, transgressiones & corruptelæ adeo undequaque invalescunt, ut prolapsionem, atque ruinam proxime secuturam, valde sit metuendum. Id quod ex abusibus, quos tum Nos ipsi sub primis hisce Regi-

minis nostri principiis nimium serpere deprehendimus, ac fere impune grassari, tum ex aliorum relationibus, fide dignis, didicimus, haud immerito inferri posse censemus. Quapropter tot ingruentibus malis pro nostris viribus occurrere fatagentes, ne silentio nostro alienorum criminum reos Nos efficiamus, quæ vestri sunt propria officii vos commonere decrevimus, ut omnibus atque singulis Superioribus non minus quam subditis quid agere, quid cavere debeant, innotescat.

II. Præ primis itaque Superiores omnes tam Locales, quam Provinciales sedulo invigilent, ut Divina Officia reverenter, devote, ac attente diu noctuque peragantur; atque uniformitas in Sacris Ritibus exercendis ad præscriptum Cœremonialis Romani, Ordinisque nostri servetur. Quod ut obtineatur facilius, in unoquoque Conventu Religiosum aliquem in iis bene versatum constituent, cui Clericos, ac Sacerdotes minus expertos ea in re instruendi statis cujusque diei horis onus incumbat. Inter hæc autem potissimum studeant, ut incruentum Missæ Sacrificium cum omni timore, tremore ac reverentia ab omnibus celebretur. Qua in re quorundam Sacerdotum damnabilem irreverentiam æquo animo ferre, omnino non possumus, qui adeo oscitanter, indevote, ac festinanter Sacrosancta illa mysteria pertractant, exteriores actus cum sacrorum verborum recitatione adeo simultaneæ, ac inconcinne componunt, immo vero confundunt, id utrumque tanta præcipitania perficiunt, tam brevi denique temporis intervallo rem rotam persolvunt, ut admirationem, & scandalum piis adstantibus procreent. Jure proin, ac merito, dum id generis Sacerdotem Christum Dominum immortaliter spectamus, iis Tertulliani verbis licet pervestigare: *Sacrificat, an insultat?* Volumus itaque, ut quot quot in ea re sunt culpabiles, ac serio moniti constantis emendationis argumenta non exhibent, pœnæ suspensionis perpetuæ, nec non inhabilitatis ad omnia Religionis officia, aliisque cum suspensione connexis ad aliorum exemplum irremissibiliter subjiciantur. Quis enim ferat, illud ipsum sacrificium, quod ad excellentius obsequium Deo præstandum est institutum, in ipsiusmet Divini Numinis offensam atque contemptum ab hujusmodi Sacerdotibus impie converti? Caveant igitur Superiores, ne hoc in negotio sint desides, ne quicquam dissimulent, ne indulgeant. Justus quippe Judex omnium irreverentiarum, atque defectuum, quos cum deberent, ac possent, non præpedierint, severissimam rationem ab ipsis exquiret. Sacerdotes autem omnes sint memores subitanæ mortis ac improvisæ, qua Sacerdotes ejusmodi ob Missæ Sacrificium adeo indevote ac præcipitanter peractum justo Dei judicio sæpiissime percelluntur.

III. Ad hæc ut in Choro omnes & singuli, iis tantum exceptis, qui vel ratione studiorum, vel ob veram, minimeque simulatam infirmitatem, aliave de causa per Constitutiones Ordinis approbata, sunt exempti, diurnis nocturnisque horis inter-

tersint , ibique cum gravitate , & decore , cum compositione , & modestia , debitas interjicientes pausas , Divinas laudes persolvant ; iidem Superiores pervaigilem curam gerant . Nec minori plane sollicitudine adlaborare illos opportet , ut quotquot legitime non sunt impediti , Orationi mentali , sublata quavis dispensandi facultate , temporibus per Statuta respective præscriptis , adsistant : nec nisi urgente causa gravissima illius exercitium aut prætermittere prorsus , aut dimidiare unquam præsumant .

IV. Quo vero spiritus devotionis magis magisque in Religiosorum cordibus accendatur , præcipimus , ut quolibet anno spiritualia octo , vel decem dierum exercitia , non sine notabili animarum fructu in nostra Religione usitata , nec nisi magno cum detrimento in quibusdam Provinciis exsoleta , ubique & ab omnibus , etiam à Provinciae Patribus peragan- tur ; designato in id rei a Guardianis Directore pio æquo ac docto , quem iidem præhabita Ministri Provincialis licentia aliunde advocabunt , ubi neminem satis aptum in propriis respective Conventibus reperiri contingat . Præfati vero Provinciales Ministri quotannis , dum facultatem celebrandi Capitulum , aut Congregationes expostulabunt , de servata hu- jusmodi lege per authenticum testimonium , sine quo prædi- cta facultas minime concedetur , Nos cerciores efficere non prætermittant .

V. Ad ulteriora gradum facientes , Evangelicæ potissimum Pauperatis , quæ Ordinis nostri prærogativa est singularis , ac firmissimum fundatum , plenam atque integrum obser- vantiam injungimus . Hanc siquidem Patriarcha noster Sanctissimus tamquam sponsam charissimam prædilexit , nobis que veluti portionem nostram plurimum commendatam reliquit . Quocirca ut exactius à nobis religiosiusque custodire- tur , eandem pluribus communivit præceptis ; ac non uno in loco mandavit , ut *Frates nec per se , nec per interpositam personam pecuniam recipiat ; ut nihil sibi prorsus appropient , nec domum , nec locum , nec aliquam rem : ut non nisi duas tunicas habeant : ut nullo modo calceamentis utantur : ut induantur vilibus vestimentis : ut nisi in manifesta necessitate non equitent &c.* Quæ plane præcepta sicuti ab omnibus inviolabiliter ac religiose sunt custodienda : ita Superiores omnes tam Locales , quam Provinciales debent eadem summo studio , ac zelo farta recta servare , eorumque prævaricatores corripere , ac debitum etiam poenis mulctare .

VI. Si quis itaque Fratrum (quod Deus procul avertat) propriæ immemor Professionis pecuniam vel per se , vel per inter- positam personam recipere , tenere , aut contrectare unquam præsumeret , omnino jubemus , ut Ministri Provinciales , omni postposita miseratione paterna , Judicis auctoritate utentes ad- versus ipsum Processum instituant , poenasque à nostris legi- bus constitutas absque ulla prorsus remissione eidem infligant . Cumque S. P. N. Franciscus expresse moneat , ut omnes Fratres

teneant eum pro falso Fratre, & Fure, & Latrone, & loculos habente, nisi vere pænituerit; si quos idcirco Religiosos hujuscemodis reos, aut proprietarios infeliciter ex hac vita decessisse constiterit, ne eorum quidem cadaveribus parcendum esse existimamus; quinimmo ad Legum nostrarum præscriptum, tum quibusvis suffragiis, tum sepultura Ecclesiastica, ut cæteri omnes salubriter absterreantur, omnino privandos esse decernimus.

VII. Ne vero subditis ulla prævaricandi præbeatur occasio, Superiores omnino current, eisdem, quæ ad vestitum, ad victum, atque ad propria munia rite obeunda necessaria sunt, ministrare. Sint autem omnes, cujuscunque gradus, aut conditionis existant, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem victu communi contenti, nullaque ratione ulla vel minima singularitas permittatur: juxta ac Apostolicæ, & Religionis Constitutiones præscribunt, quarum integrum observantiam hac in parte majori qua possumus auctoritate, & efficacia Superioribus inculcamus, eorumque conscientiam, qualibet dispensandi facultate sublata, oneratam relinquimus. Quibus etiam solcite commendamus, ut quæ ad honestam suorum subditorum sustentationem pertinent, paterna charitate satagant providere, ne vetitis illicitisque recursibus ullus aditus pateat.

VIII. Communitates quoque tam pro majoribus vestimentis, quam pro minoribus pannis, aliisque necessitatibus Religiosorum sublevandis requisitæ, ubi nondum existunt, illico erigi, ubi vero jam extant, optime conservari ac manuteneri præcipimus: adeo ut de omnibus necessariis, ac Seraphico Statui convenientibus, ubique locorum Subditis à Superioribus provideatur. Subditi autem omnia quæcunque habent vestimenta lanea, sive linea ad prædictas Communitates, nulla re prorsus sibi retenta, sub pœna proprietatis teneantur deferre. Quænum rite observentur, Provinciales Ministri, ac Visitatores a Nobis deputati in suis respective Conventuum Visitationibus diligenter inquirant, ac quaslibet Subditorum proprietates eliminantes, in Superiores etiam Locales animadvertant, pœna quoque Suspensionis officii, si opus fuerit, illos punientes, qui aut præfatas Communitates non instituerint, aut de rebus ad Fratrum usum necessariis eas non satis instruxerint.

IX. Secluso veræ necessitatis casu, Ministrorum Provincialium iudicio probandæ, nemini liceat nisi pallium, duasque tunicas adhibere, quas ejusdem prorsus coloris ac qualitatis esse mandamus: adeo ut omnes ac singuli in unaquaque respective Provincia eodem plane modo, eodemque panno vestiantur. Sudariola linea, & cujusvis generis calceamenta, præterquam justa necessitate impellente, à Superioribus æstimanda, omnibus vetita esse monemus, atque decernimus. Neque minus Nobis est cordi præceptum illud in Regula expressum, quod *Fratres non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur.* Quare sicut Nos ipsi, quum aut Visitationis

instituendæ ratione , aut alia quavis ex causa iter aggredi oportebit , nec currus , nec rhedas , nec equos , nisi infirmitas aut necessitas urgeat , ulla tenus admittemus ; ita ne alii quicunque iisdem utantur , sed pedestres ac humiles semper incedant , expresse mandamus . Id quod vel maxime Visitatoribus à Nobis designandis indicimus , quos idcirco ex Provinciis proximioribus , ut plurimum desumemus , nec non Verbi Dei Concionatoribus : quos si aliter se gessisse constiterit (certo autem certius constabit) concionandi facultate omnino privandos esse statuimus . Gravioribus vero pœnis eorum impudentia à Ministris Provincialibus , ac Visitatoribus est coercenda , qui aut curiositatis explendæ , aut solius recreationis captandæ gratia aliquo ex prædictis modis in Regula vetitis circumire , ac vagari non erubescunt .

- X. Quoniam vero ex optima Juvenum receptione , atque ex recta eorundem educatione Ordinis nostri decor ac firmitas plurimum pendet , ea omnia adamussim servari juvemus , quæ in hoc tam gravi negotio à Summis Pontificibus , ab Ordinis Constitutionibus , atque à Prædecessoribus nostris salubriter ac sapienter fuere præscripta . Queis inhærentes Provinciales Ministri , aliique Definitorii Patres Spiritum vocationis , naturæ dotes , ingeniique indolem ac perspicaciam in recipiendis Juvenibus quam diligenter explorent atque perpendant : rejectisque ignotis , segnibus , vilibus , inde votis , nulloque cœlesti ductu ad hanc vitam vocatis , non nisi illos recipient , quos bene moratos , talique corporis valetudine , ac ingenii acie donatos inveniant , ut tam in pietate , quam in literis proficiendi spem bonam præferant . Nec vano uspiam multiplicandi gentem ambitu ludificari se finant ; intelligentque Divinam maledictionem se esse incurfuros , si ipsorum culpa ac vitio contingat , ut Sancta nostra Religio discolos & inquietos , ignorantes & otiosos , qui ei futuri sint oneri , probro atque dedecori , suo in sinu alere , & sustinere cogatur . Utinam , ajebat Seraphicus Pater , in mea Religione essent tam rari Fratres , ut qui videret unum , tanquam de novo spectaculo miraretur !
- XI. Receptis porro cum delectu Juvenibus , atque ad habitum Religionis admissis , felicitantur in Magistros viri probi , exemplares , docti , atque prudentes , qui viam perfectionis eisdem ostendant , in Oratione mentali sedulo exerceant , ac per sensuum , & carnis mortificationes spiritum humilitatis , puritatisque cordis acquirendæ ac conservandæ rationem edoceant . In detegenda potissimum illorum indole , ac internis animi affectionibus expiscandis solerter invigilent : quumque aliquos ad malum & vitia nimium pronos invenerint , quin illum seriæ emendationis argumentum exhibeant , ut proin juste sit metuendum , graves atque molestos Religioni esse futuros , coram tota Communitate Fratrum illorum pravas inclinationes ac defectus exponant , ut quisque suffragandi tempore adventante conscientiæ suæ , ac Provinciae bono possit consulere .

XII. Expleto autem Novitiatus anno , qui Professionem emittunt in Recollectionis , sive Professorii Conventibus collocentur, ibique sub Disciplina Magistri, iisdem praediti qualitatibus, queis Novitiorum Magistros esse oportet instructos , in doctrina Spiritus diligentissime instituantur , ut & veterem hominem expoliare , & novum induere , & initum cum Deo pactum , omniaque Regulæ nostræ præcepta ad apicem observare perdiscant. Quis namque non videat , novellas has plantulas uberes perfectionis ac Sanctitatis fructus subinde esse daturas, si fuerint bene ac diligenter exultæ ; Sin vero male, inutiles semper sterilesque mansuras ? Quis non intelligat , futurum hinc esse , ut Regularis Observantia aut stabiliatur ab illis, aut magis magisque per eosdem laxetur , quum ipsimet curam ac regimen aliorum suscipiant ? Quam enim viam ipsi didicerint, hanc & ceteris demonstrabunt. Ex quibus nemo non percipit quam assidua ea in re opus sit Superioribus , & Magistris solicitudine , dexteritate , ac vigilantia.

XIII. Cæterum quum præter Sanctitatem , quæ Seraphici Ordinis præcipuum est fundamentum, scientia quoque tum ad eximum ejusdemmet decorem , tum etiam ad vocationis nostræ munus implendum non utilis modo , sed & necessaria jure optimo censetur , idcirco ea omnia inculcamus, quæ a Rmo. Patre Nostro Ministro Generali circa Literarum studia promovenda aut conservanda provide sunt constituta : seu ubi Grammatices , & Re thorices Scholas erigi præcipit, seu ubi methodum Philosophiæ , ac Theologiæ tradendæ præscribit , ut scilicet caveant utriusque Facultatis Lectores , ne inanibus speculationibus , nulliusque frugis quæstiunculis cum grandi jactura temporis pretiosissimi indulgeant , sed magis ea feligant pertractanda , quæ ad veram solidamque eruditionem ac scientiam perducunt. Ad Philosophiam quod attinet , rem paucis perstringimus ; satis nos fecisse rati , si Clar. Patris Fortunati à Brixia celeberrimum Opus nostris Lectoribus proponamus : ita tamen ut ad uberiorem suorum Auditorum profectum aliorum quoque Philosophorum magis illustrium , quorum Opera hac nostra ætate satis sunt pervulgata , doctrinas addere non prætermittant.

XIV. Fusiori aliquantis per calamo ea explanaturi, quæ ad Theologicas Disciplinas utiliter pertractandas observari cupimus , illud principio Lectoribus inculcandum ducimus, ut antequam animum ad Theologicos Tractatus enucleandos adjiciant , ac manum apponant , ea in antecessum ob oculos habeant , suisque Discipulis diserte studeant explicare, quæ *de locis Theologicis* Melchior Canus , *de locis Catholicis* Fr. Franciscus Horantius , tum Fr. Ludovicus Carvajal. *de restituta Theologia atque à Sophistica & barbarie pro virili repurgata* , deque *Studiis Monasticis* Joannes Mabillonius scitissime tradidere. Quibus peractis ipsiusmet Theologiæ sinus tum demum pervadant , ad quam felicius facilisque explanandam novum actu elaboratur Opus , atque uti speramus , brevi lucem adspiciet , quod Tractatus omnes in Elencho jam dudum edito, singulasque in Provincias transmisso,

designatos clare atque methodice comprehendet. Interea vero temporis sedulam Lectores nostri operam navent Divinis Literis , Conciliis , Summorum Pontificum Decretis , Sanctis Ecclesiæ Patribus , ac primoribus de Schola Theologis , iis potissimum Sanctitate vitæ præclaris, quos inter cum primis laudamus Alexandrum Alensem , ac præcipue Sanctum nostrum Bonaventuram , cuius Operum assiduam lectionem , ceu teste Gerzone , illuminantium intellectum , & inflammantium affectum, impense commendamus ; tum Ven. Joannem Dunsum Scotum de re Theologica optime meritum diligentí studio versandum etiam atque etiam proponimus. Neque exiguum referent fructum iidemmet Lectores , si Fr. Gasparum Sasgerum præ manibus habeant , prælaudati S. Bonaventuræ doctrinæ oppido addictum , in Divinis Literis egregiè eruditum , ac si quis alius, Lutheri Oppugnatorem doctissimum , nec non Fr. Riccardi de Media Villa , Fr. Alphonsi de Castro , Cardinalis Fr. Clementis Dolera Moniliani , Fr. Francisci Fevardentii *Theomachiam* , deque *Recta in Deum Fide* Fr. Michaelis de Medina Opera , & Tractatus diligenter evolunt.

XV. Ast ubi agitur de Divina Intelligentia , atque Præscientia , de Peccato Originali , de Libero Arbitrio , de Justificatione , de Prædestinatione , de Gratia , atque id generis aliis , quæ inter se nexum habent , equidem cupimus , ut præter S. Bonaventuram , & Scotum , Cardinalis de Laurea Opusculis , Collationibus Fr. Francisci Macedo , & Fr. Andreæ Vega Commentariis sedulo utantur : præ omnibus tamen eum vel maxime Doctorem illis præfigimus , cuius Doctrinam Ecclesia ipsamet consecravit , dum ad ejusmodi controversias identidem excitatas finaliter dirimendas illam consulere ac adoptare consuevit , Magnum dicimus Augustinum , quem ejusdem Ecclesiæ Splendidissimum Lumen idcirco omnes adpellant ; ac jure quam optimo S. Hormisdas Papa Possessorem admonuit : *De Arbitrio Libero, & Gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & servet Ecclesia iuvariis Libris B. Augustini abunde posse cognosci.* Hunc itaque ut omnes nostri , veluti Ducem tutissimum in memoratis Quæstionibus inoffenso pede sequantur , ejusque reverendam , & in omni Ecclesia Catholica receptissimam Auctoritatem fidelissime amplectantur , & in deliciis habeant , quin vel latum unguem ab illa unquam recedant , indicere operæ pretium esse arbitramur.

XVI. Cæterum eosdem sedulo admonemus , ut Lectiones omnes atque Disputationes diebus præscriptis diligenter perficiant , suosque Discipulos tam in privatis , quam in publicis Concertationibus in dialectica argumentatione , ad eorum capacitatem probandam , ingeniique acumen patefaciendum aptissima , perquam solerter exerceant . Quibus etiam præscribimus , ut in Tractatibus ac Quæstionibus dictandis explicandisve methodum in præfato Elencho statutam quoad omnia , & singula in eodem contenta inviolabiliter servent ; districte inhibentes tam ipsis , quam Philosophiæ Lectoribus quibuscumque , ne alias , quam quæ ibidem præfiguntur , vacationes à studiis sibi autument arrogare

sub pœna suspensionis, ac privationis etiam Officii, certo certius transgressoribus infligenda.

XVII. Lectoribus denique Theologiæ Moralis statutum illud in postremo nostro Generali Capitulo Mantuæ celebrato sessione XV. emanatum, atque à Rmo. Patre nostro Ministro Generali jam promulgatum commemoramus, quo ad similium Decretorum normam plerisque aliis in Capitulis Generalibus editorum injungitur, ut ad ea scandala à nostro Ordine removenda, quæ ex nimia opinandi licentia in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus ori ri e& suscitari possent, Sac. Theologiæ Lectores, aliique omnes DOCTRINAS TUTIORES ET PROBABILIORES SEMPER DOCEANT, ET AMPLECTANTUR. Cujus quidem saluberrimi ac pernecessarii Decreti exactissimam observantiam, sicuti prælaudatus Rmus. Pater Minister Generalis in virtute Sanctæ Obedientiæ, nec non sub pœna privationis Officii tam Lectoribus, quam Confessariis imperavit: Nos itidem ejus inhærentes vestigiis sub eodem gravissimo Sanctæ Obedientiæ Præcepto, eademque sub pœna, nec non sub interminatione Divini Judicii adversus illos, qui minus tutas, minusque probabiles opiniones scienter ac voluntarie docere, aut amplexari, vel tueri præsumerent; idipsum serio districteque præcipimus. Atque ut Nobis legitime constare queat, in hacce nostra Cismon-tana Familia omnes omnino ea, qua par est, animi promptitudine huic nostro, & Rmi. Patris Ministri Generalis præcepto sane gravissimo paruisse, volumus quoque ac expresse mandamus, ut Provinciales Ministri fidem authenticam tam à se, quam à cæteris Definitorii Patribus, nec non ab ipsis met Lectoribus, aliisque Patribus ac Fratribus Clericis ejus respective Conventus, in quo Lectores morantur, propria manu subscriptam ac juramento firmatam ad Nos quotannis transmittant, qua, nos edoceant ea omnia servata esse, quæ tum de tradenda in rebus Morum tutiori ac probabiliori opinione, tum de tuenda in jam relatis quæstionibus S. Augustini Doctrina hoc in articulo à Nobis sunt constituta. Quocirca & Theses omnes à dictis Lectoribus in posterum propugnandas Nobis communicari, ac exhiberi decernimus, ut ex iis quoque de præstita ab ipsis in re adeo gravi religiosa obedientia luculentius argumentum habere possumus. Quæ omnia nisi ad unguem perfecerint Provinciales Ministri, sciant, se licentiam celebrandi Capitula & Congregationes nuspiam à Nobis esse consecuturos. Sint igitur dociles Lectores nostri, ut saniora semper, sanctioraque amplectantur, nec eant quo itur, sed quo est eundum; meminerintque viam latam, quæ multorum est, ad perditionem, arctam vero, quæ est paucorum, ad salutem adducere. Laxioris proinde, ac indulgentioris Doctrinæ auctoribus quam longissime relegatis, ea consulant opera, in quibus magis tuta & certa Morum traduntur principia: qualia sunt, ut ex Nostris unum alterumve memoremus, summæ Alensis, Astensis, atque Angelica, nec non F. Henno Tractatus Morales: conenturque imitari & Fr. Antonium Cordubam, qui Probabilismum vel in ipsis suis incunabulis præfocare, ac

extinguere sategit , & Fr. Syrum Placentinum , qui ipsum jam
adultum penitus exterminare curavit. Quicunque enim Proba-
bilismum , quem omnium laxitatum fontem , ac Propositionum
ab Ecclesia hactenus proscriptarum fœcundissimam scaturigi-
nem esse , omnes æqui rerum æstimatores proclaimant , toto nisu
è nostris Scholis exterminare curaverint , salutaris Obedientiæ
meritum quam lubentissime iisdem Nos impartimur.

XVIII. Jam vero animo recolentes , quam arduum sit negotium , ma-
ximum momenti , ac ipsis quoque Angelicis humeris formi-
dandum Sacramenti Pœnitentiæ pro fœcularibus utriusque sexus
administratio , Superioribus Provinciarum committimus , ut id
oneris non nisi Sacerdotibus probe doctis , prudentibus , bene
moratis & exemplaribus committatur. A quo sane munere eos
omnino arcendos esse jubemus , quos vel ex certa scientia , vel
gravibus faltem indiciis sufficienter constiterit , prava aliqua
consuetudine mulierum , suspectove confortio fuisse aliquando
implicatos. Decet autem vel maxime , ut in nostris Ecclesiis ad
excipiendas mulierum Confessiones graviores tantum Patres
constituantur. Quod ut ubique executioni mandetur , Nos justis
de causis , ac matura deliberatione præcipimus ; graviter prohi-
bentes , ne posthac , ut alicubi fieri consuevit comperimus , Sa-
cerdotes juniores ad id deputentur. Postremo ad Confessariorum
Examinatores sermonem nostrum convertimus , eisque injun-
gentes , ut in proprio munere obeundo inter alia examinandos
interrogent circa Canones pœnitentiales antiquos , ac eorum
usum , & spiritum , circa propositiones variis temporibus ab Ec-
clesia proscriptas , earumque sensum , ac circa opinionum dele-
ctum : quosque aut illos ignorare , aut in istis esse parum edocatos ,
aut Probabilismo adhærentes invenerint , omnino repellant ; eos-
dem serio animadvertisimus , ac per Jesu Christi viscera obtestam-
mur , ne hoc in negotio faciliores , ac plus æquo indulgentiores
se præbeant , neve ullum admittant , nisi propriæ habilitatis , suf-
ficientis doctrinæ , ac maturæ prudentiæ satis perspicua minime-
que dubia argumenta præbuerit. Præterquamquod enim ex ma-
la Sacramenti Pœnitentiæ administratione æternam animarum ,
quæ pretioso Jesu Christi sanguine sunt redemptæ , ruinam con-
sequi oportet ; illud accedit , ipsiismet Examinatoribus coram
Domino ea omnia mala esse infallibiliter imputanda , quæ Con-
fessarii minus idonei , ab se se nimia facilitate approbati , in alio-
rum Confessionibus excipiendis admiserint. Nos interea , habito
prius verbo cum sape laudato Rmo. Patre nostro Generali Mi-
nistro , Dispensationes & facultates omnes & singulas aut admi-
nistrandi sine prævio examine , vel absque requisita ætate Pœni-
tentiæ Sacramenti , aut à Reservatis Casibus absolvendi , iis tan-
tum exceptis , quæ ab Illo , aut à Nobis fuerunt obtentæ , antehac
à quoquam seu verbo , seu scripto concessas præsentium vigore
annullamus , ac revocamus , easque statim ac hæ nostræ Litteræ
fuerint publicatæ , eo ipso nullas penitus esse , cassas , atque irritas
declaramus. Volentes , ut nostra hæc declaratio , seu revocatio
eundem prorsus fortius effectum , ac si cuilibet personaliter , &
per expressam individuamque mentionem intimata fuisset .

XIX. Plurimum quoque interest, ut ad Apostolicum Evangelicæ Prædicationis Ministerium obeundum ii tantummodo assumantur, qui solida pietate, doctrina, ac morum honestate prædicti cum Religionis nostræ decore, animarumque fructu illud valeant exercere. Quamobrem memorati Generalis Capituli Mantuani Patres sicuti Sess. XIII. statuerunt, ut ad legendam Sacram Theologiam in Provinciis præsertim Reformatorum nullo modo in posterum Lectores per privatum examen deputentur, sed previa duntaxat oppositione, seu ut vocant, concursu coram Definitorio habendo; ita & de instituendis Prædicatoribus eadem in Sessione verba facientes, falubriter decrevere: *Ne deinceps Prædicatores instituantur, et ad Dei Verbum prædicandum non nisi illi admittantur, de quorum habilitate tam in moribus, quam in doctrina constiterit per publicum examen coram pleno Definitorio Provinciæ faciendum, vel in Congregationibus, vel in Capitulis Provincialibus, vel alia quacunque de causa collegialiter congregato.* Quod utrumque Decretum ubique servari volumus ac mandamus. Patres vero Definitorii ex debito Pastoralis Officii nostri obtestari, & commonefacere non prætermittimus, ne ad Lecturam, aut ad sanctæ Prædicationis Officium ullos admittant, nisi quos ad alterutrum digne ac laudabiliter adimplendum vere idoneos esse cognoverint: Deo alias gravissimam reddituri rationem malorum omnium, quæ consequentur, si indignos suscepient, probaverintque, non sine ingenti Religionis nostræ dedecore, nec sine magno ac plane ineffabili Religiosorum detimento.

XX. Non minori insuper solicitudine Nobis est satagendum, ut Sacrae Missiones in Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorumve Regionibus à Nostratis exercendæ ad majorem Dei Gloriam, animalium salutem, dilatationem Fidei, augmentum Ecclesiæ, totiusque Religionis nostræ Catholicæ decus sufficienti optimorum Operariorum numero adsignato magis, magisque constabiliantur, & crescant. Quapropter Religiosos omnes, qui Deo inspirante ad tantum opus se vocatos intelligunt, veluti dato signo invitamus ac in Domino hortamur, ut pium hoc desiderium Nobis candide exponant, Literas Obedientiales vel ad Cœnobium Romanum S. Bartholomæi in Tyberis Insula si sint Observantes, vel ad S. Petrum in Monte Aureo si Reformati, certissime relaturi mox ac per fides juratas à totius Definitorii Patribus, atque à propriis respective Lectoribus, Guardianis, & Discretis Conventuum, in quibus degunt, subscriptas de Concurrentium idonea ætate, de optima corporis constitutione ac valetudine, de sufficienti doctrina, de morum denique probitate juxta Apostolicas Sanctiones, ac Sacrae *de Propaganda Fide* Congregationis Decreta Nobis constiterit. Ne autem Superiores quicunque Nobis subjecti particularem propriæ Provinciae aut Conventus utilitatem communis sacrarum Missionum bono longe majori anteferentes, quempiam suorum subditorum à tam sancto proposito avocare, aut sub quovis emendicato prætextu requisitas attestations denegare præsumant: Nos præsentium tenore Superioribus antedictis, aliisque omnibus, ad quos pertinet, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut ab hujusmodi attentatis prorsus abstineant. Quod si fecus fecerint, ac dignos

idoneosque Juvenes audeant quomodolibet avertere, vel impedi-
re, promeritis haud dubio pœnis eos Nos subjiciemus, non secus,
ac illos, qui discolis, ac indignis indebita testimonialia concesse-
rint. Quæ omnia, ne frustra eadem repetamus, relate ad illos
etiam, qui ad Sacra Palestinæ Loca ire contendunt, pariformiter
intelligenda esse statuimus, ac declaramus.

XXI. Caveant præterea Fratres, ne ad Sæculares quoscunque, alias
que extra Ordinem Personas, ut earum ineant Gratiam, ac favo-
rem & patrocinium implorent seu pro officiis, dignitatibus, vel
cujuscunque generis gradibus in Religione obtainendis, seu pro re-
missione pœnæ ipsorum criminibus debitæ consequenda, ullo mo-
do recurrent. Qua in re ut Constitutionem fel. rec. Benedicti XIV.
quæ incipit: *Sacrosancti Apostolatus Officium* (in qua etiam præci-
pitur, ut qui causantur gravamina, non ad Nos immediate, neque
ad Romanæ Curiæ Tribunalia, sed juris ordine servato, primo
loco *ad Guardianos*, tum *ad Provinciales*, subinde *ad Nos*, postmo-
dum *ad Generalem Ministrum*, ac demum *ad Tribunalia Superiora*,
quæ sunt extra Ordinem gradatim recurrent) præ oculis semper ha-
beant, ac religiose observent, pro viribus inculcamus. Quod ut
consequamur facilius, injungimus, ut eadem Constitutio bis in
anno in singulis Conventibus perlegatur. Quisquis autem adver-
sus illam deliquerit, certo sciat, nedum id, quod adeo illicitis me-
diis extorquere conatur, se nuspam esse consecuturum, verum
etiam gravissime juxta ejusdem Constitutionis præscriptum esse à
Nobis puniendum.

XXII. Id ipsum quoque à Provinciarum Visitatoribus, quos Nos depu-
tabimus, in Capitulis celebrandis servatum iri jubemus. Ad exte-
rorum favores ne omnino respiciant: Mediatoribus ne obsecun-
dent: Nullius patrocinium morentur. Nitantur immo viribus,
nervisque omnibus ejuscemodi ambitiosorum ac Pretendentium
temerariis ausibus obsistere, efficiantque, ut in promotionibus ad
Provinciæ gradus faciendis, nulla prorsus ipsorum habeatur ratio,
sed tamquam indigni, & memoratae Constitutionis transgressores
palam aperteque rejecti, ab omnibus honoribus ac Dignitatibus
penitus excludantur. Ut autem præfati Visitatores majori cum
Provinciarum emolumento, ac Religionis decore munus sibi
concreditum impleant, iisdem injungimus, ut si qui sint in Pro-
vinciis sibi commissis abusus, & diligenter perquirant, & detege-
re studeant, & iis obviam ire, neve magis excrescant, opportune
mederi contendant. Volumus insuper ac diserte mandamus, ut
Visitatione peracta, priusquam Capitulum celebretur inobservan-
tias ac relaxationes omnes, quas deprehenderint, tam communes,
quam particulares fideliter & exacte Nobis communicent, ac pa-
lam faciant, ut remedia morbis accommodata aptare possimus,
ac ea omnia præstare, quæ ad Monasticam Disciplinam, Regula-
remque Observantiam in Provinciis instaurandam magis pro-
ficua, & opportuna Nobis in Domino videbuntur. Potissimum
vero iisdemmet committimus, ut à recipiendis quibuscunque mu-
neribus, iis præsertim, quæ ad obtinendos favores, gradus, aut
Dignitates, vel sub alio quovis titulo aut colore à Religiosis pri-

vatis, etiam sponte, sibi offerri contigerit, prorsus abstineant. Quod si quempiam ex Visitatoribus hisce nostris Ordinationibus non paruisse, aut foviisse partes, aut inter Fratres excitasse discordias, aut malo exemplo ceteros offendisse, Nobis constiterit, is Justitiae Nostrae rigorem, ac severitatem nulla plane ratione poterit effugere aut declinare.

XXIII. Monemus denique omnes, immo etiam mandamus, ut nullas obsequii tantum aut observantiæ causa literas ad Nos mittant, caveantque à longioribus atque superfluis, ne Nos gravioribus rebus intentos inutilium Epistolarum multitudine magis fatigent, ac molestissime prægravent.

XXIV. In iis autem quas necessario perscribi opportebit, Nomem, Patria, sive Cognomen, atque Conventus, in quo Scribens moratur, cum ejus Ecclesiæ Titulo, clare, distincte, ac sine ulla abbreviationibus exprimatur. Ac PP. quidem Observantes ad nostrum Conventum S. Mariæ de Aracœli, Reformati vero ad S. Franciscum trans-Tyberim easdem dirigant.

XXV. Hæc sunt porro, Fratres mei in Domino dilectissimi, quæ ut & Conscientiæ nostræ, & omnium Vestrum bono consuleremus, Vobis suggerere, atque præcipere necessarium duximus. Atque ut eadem alta mente retineatis, & executioni rite mandetis, injungimus omnibus & singulis Provinciarum, & Custodiarum nostrarum Prælatis, ut has nostras præsentes quantocius in omnibus & singulis Administrationis suæ Conventibus, & Residentiis coram tota Communitate in Refectorio Capitulariter congregata faciant publicari. Guardianis vero aliisque Superioribus Localibus, ut eas in Libro Conventus ad literam transcribant, & quolibet semestri seu bis in anno in publica mensa legere non omittant sub poena suspensionis officii ipso facto incurrenda.

XXVI. Interim autem oramus Vos & obsecramus, ut pro longæva & prospera incolumitate SSmi. D. N. CLEMENTIS XIII. Pontificis vere Maximi, & Em. ^{mi} Cardinalis universi Ordinis nostri Protectoris, pro exaltatione S. Romanæ Ecclesiæ, pro Christianorum Principum pace, & concordia, pro Rmo. Patre nostro Ministro Generali, ac demum pro Nobis, qui Seraphicam Vobis Benedictionem ex toto corde impertimur, ad Deum totius consolationis Fontem, Misericordiarum Patrem, omniumque bonorum largitorem optimum, vestras preces jugiter effundatis. Valete.

Dat. Romæ ex hoc nostro Aracœlitano Convento die

Martii 1763.

De Mandato Rm. in Christo Patris,